



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **VITEBSCEN**\* IN BIELORUSSIA NOVA CONDITUR

DIOECESIS VITEBSCENSIS Ad aptius consulendum spirituali bono Christifidelium, Venerabilis Frater Noster Casimirus

S.R.E. Cardinalis Świątek, Archiepiscopus Metropolita Minscensis Latinorum - Mohiloviensis Latinorum, amplum ob

numerum incolarum in circumscriptione ecclesiastica sua commorantium ab hac Apostolica Sede petivit ut quodam

distracto territorio ab eadem circumscriptione nova conderetur dioecesis. Nos, favente quoque eidem rei Venerabili

Fratre Dominico Hrušovský, Archiepiscopo titulo Tubiensi, in memorata Natione Nuntio Apostolico, de consilio

Secretariae Status admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate ab

archidioecesi Minscensi Latinorum - Mohiloviensi Latinorum separamus Regionem « Vitebsk » atque ex ita distracto

territorio novam constituimus dioecesim Vitebscensem, cuius sedem ponimus in urbe « Vitebsk » dum ibique exstans

templum, Deo in honorem sanctae Barbarae dicatum, ad gradum et dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus.

Praeterea dioecesim Vitebscensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Minscensi Latinorum-Mohiloviensi

Latinorum eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Minscensis Latinorum - Mohiloviensis Latinorum

subicimus. Cetera omnia vero secundum canonicas leges temperentur. Quae statuimus, perficienda committimus

Venerabili Fratri Dominico Hrušovský, quem diximus, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam

subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad

Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. Hanc denique

Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum*

*Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo tertio mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo*

*nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Tharsicius Nardi, *Protonot. Apost.*

LUCAS card. MOREIRA NEVES

*Congr. pro Episcopis Praef.*

---

s.n.

\*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 12, pp. 1105-1106 © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana